

eternam. Quædam vero sunt quæ sunt ducentia ad vitam æternam sicut principia merendi; & talia non cadunt sub merito, sicut gratia, & hujusmodi; & inter illa potest computari incarnatio Filii. Vel dicendum, quod sine incarnatione poterat perveniri ad vitam æternam: quia fuit alius modus possibilis nostræ salutis, ut dicunt sancti.

Ad quartum dicendum, quod ipsi non petebant incarnationem, quam indubitanter credebant futuram; sed petebant ejus accelerationem. Vel dicendum, quod non petebant pro se, quia non petebant aliquid fructum in ipsis petentibus.

Ad quintum dicendum, quod quamvis mereamur vitam æternam per fidem operantem per dilectionem; non tamen oportet hoc dicere de incarnatione: quia vita æterna est beneficium præstitum tantum personæ merentis, incarnatio autem beneficium præstitum toti humanæ naturæ.

Ad sextum dicendum, quod beata Virgo non meruit incarnationem; sed præsupposita incarnatione meruit quod per eam fieret, non quidem merito condigni, sed merito congrui, in quantum decebat quod mater Dei esset purissima, & perfectissima virgo.

Et per hoc patet etiam solutio ad alia.

### ARTICULUS II.

*Utrum gratia sit naturalis illi homini.*

III. P. quest. 11. art. 12. & de ver. quest. xxxix. artic. 2.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod gratia non sit illi homini naturalis. Gratia enim, & natura dividuntur ex opposito. Sed unum oppositorum non denominat aliud. Ergo gratia non debet dici naturalis.

2. Præterea. Naturale est quod ex principiis naturæ causatur, sicut igni ferri sursum. Sed ex humana natura non causatur gratia. Ergo non debet dici naturalis.

3. Præterea. Christus est ejusdem naturæ cum aliis hominibus. Sed aliis hominibus gratia non est naturalis. Ergo nec sibi.

4. Præterea. Per naturalia non meremur. Sed Christus meruit per gratiam quam habuit, ut infra dicitur (dist. xviii. art. 2. 3. 4. 6.) Ergo non fuit ei naturalis.

Sed contra. Causæ proximæ rerum naturalium sunt naturales. Sed Christus per gratiam est naturalis Filius. Ergo gratia est ei naturalis.

### QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod Christus divina gratia, vel Divinitate non sit repletus corporaliter, quod in littera dicitur. Omne enim quod est in aliquo corporaliter, est in eo per circumscriptionem. Sed Divinitas non potest esse circumscripita. Ergo non potest habitare in Christo corporaliter.

2. Præterea. Deus magis elongatur à corporeitate quam Angelus, qui in comparatione Dei corporeus est, ut dicit Damascenus Lib. I. de Fide cap. 111. Sed Angelus non est in aliquo loco, vel corpore, corporaliter. Ergo multo minus Divinitas.

3. Præterea. Deitas in homine non habitat nisi per gratiam. Sed gratia non est in corpore. Ergo Deitas non potest habitare in aliquo corporaliter.

Sed contra. Divinitas juncta est toti humanæ na-

turæ. Sed corpus est pars humanæ naturæ. Ergo unita est corpori: ergo habitat in Christo etiam corporaliter.

### SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod de gratia Christi possumus loqui dupliciter; aut de gratia unionis, aut de gratia habituali, qua anima ejus perfecta est. Gratia autem unionis dicitur Christo naturalis, quia ordinatur ad unionem in personam divinam, secundum quod ille homo dicitur naturalis Filius Patris. Gratia vero habitualis potest etiam dici Christo naturalis dupliciter. Uno modo quia ad modum proprietatum naturalium se habet, quæ suum subjectum inseparabiliter consequuntur. Alio modo quia ex altera suarum naturarum causatur, scilicet ex divina natura, non autem ex humana.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia unionis dicitur quidem gratia quantum ad causam, quia eam nulla merita præcesserunt; sed dicitur naturalis quantum ad effectum, quod est esse Filium naturalem, ut dictum est. Gratia autem habitualis dicitur gratia ratione humanæ naturæ; naturalis ratione divinæ, vel ratione humanæ naturæ, in quantum inseparabiliter inest.

Et per hoc patet solutio ad alia.

### SOLUTIO II.

Ad id quod ulterius quæritur, dicendum, quod plenitudo Divinitatis dicitur corporaliter habitare in Christo tripliciter. Primo modo quia Deitas non tantum animæ, sed etiam carni unita est. Secundo per similitudinem ad tres dimensiones corporis, quia Divinitas est tribus modis in Christo. Uno modo generali, sicut est in omnibus creaturis, per essentialitatem, presentiam, & potentiam; & in hoc consistit quasi longitudo. Alio modo speciali, prout est in sanctis per gratiam; per quam est latitudo charitatis. Tertio modo in proprio Filio, scilicet per unionem; in quo est sublimitas, & profundum. Tertio dicitur corporaliter habitare ad similitudinem corporis, secundum quod dividitur contra umbram. In sacramentis enim veteris legis fuit quasi in umbris, & signis: Heb. x. 1. *Umbram habens læ futurorum bonorum*; in Christo autem secundum rem, & veritatem: unde Christus se habet ad illas figuras, sicut corpus ad umbram.

Ad primum ergo dicendum, quod corporaliter secundum primam expositionem non dicitur modum existendi Divinitatem in Christo, sed magis id cui Divinitas conjungitur; secundum autem alios modos est similitudinariè dictum.

Unde patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod in aliis hominibus sanctis est Deus per gratiam acceptionis, sive habitualement, quæ est tantum in anima; in Christo autem est per gratiam unionis, quæ est ad animam, & corpus.

### EXPOSITIO TEXTUS.

UNO nominato tres intelliguntur. Contra. Dicimus Filium Dei incarnatum: quod non intelligitur de Patre, & Spiritu Sancto. Et dicendum, quod hoc est intelligendum de his quæ ad essentialitatem pertinent: quorum si aliquid de una tantum persona dicitur, oportet quod de alia intelligatur.

*Non est autem concedendum, quidquid de aliqua re*

*nas-*

nascitur; continuo ejusdem rei filium nuncupant. Sciendum est ergo, quod hæc præpositio ex denotat causam efficientem, vel materialem. Ad hoc autem quod aliquid natum ex aliquo materialiter, filiationis nomen accipiat, oportet quod in similitudinem speciei producat cum eo ex quo nascitur, sicut filius matri; & ideo capilli, & lumbricus non dicuntur filii ejus ex quo materialiter nascuntur. Ad hoc etiam quod aliquid natum de alio active dicatur filius ejus, oportet quod producat de substantia agentis, & in similitudinem ejusdem speciei, & quod non sit agens instrumentale, sed principale. Primæ autem duæ conditiones deficiunt in Spiritu Sancto: unde Christus non potest dici filius ejus. Secunda autem, & tertia deficiunt in aqua; quia renatus spiritaliter non assumit similitudinem aquæ, sed similitudinem Dei; & aqua est instrumentum divinæ virtutis operantis in eo: tamen Dionysius 11. cap. eccles. Hierarch. vocat aquam baptismi matrem filiolitatis; sed non proprie dicitur.

Dicuntur filii gehennæ. Sciendum, quod hoc dicitur, secundum modum loquendi consuetum in Scripturis, ut illud quod magnam habet affinitatem ad alterum, filius ejus dicatur; sicut Isai. v. 1. dicitur: *In cornu filio olei*; id est in monte, ubi abundat oleum; & similiter I. Reg. xxvi. dixit David de Abner, quod filius mortis esset, quia mortem valde merebatur.

Conceptus, & natus de Spiritu Sancto. Quamvis

utrumque horum possit dici & de Spiritu Sancto, & de matre; tamen magis proprie dicitur conceptus de Spiritu Sancto, quia conceptionem in instanti Spiritus S. operatus est; natus autem magis proprie dicitur de matre, quæ eum ex utero produxit; unde in symbolo dicitur conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

Factum ex semine David: Roman. 1. Contra. Damascenus III. Lib. cap. 11. Non seminaliter, sed conditive per Spiritum Sanctum. Ad quod dicendum, quod Damascenus loquitur quantum ad proximam Christi generationem ex Virgine; verbum autem Apostoli intelligendum est quantum ad remotos parentes, ex quibus seminaliter mater Christi processit.

Cum aliud sit fieri, aliud nasci. Contra. Fieri videtur esse commune ad omnem productionem, quæ aliquid incipit esse. Ad quod dicendum, quod hoc est verum de facere, secundum quod communiter sumitur, proprie tamen dicitur facere, exercere aliquam actionem in exteriorem materiam, secundum quod dicit Philosophus in VI. Ethic. (cap. 111. vel 14.) quod ars est recta ratio (1) agibile. Unde ad ostendendum quod conceptio Christi est ex principio agente extrinseco, non naturaliter agente; sicut est in nostra conceptione, ideo dicit Apostolus eum factum; quamvis & natus, & conceptus dici possit quantum est ex parte matris.

### DISTINCTIO V.

*Si persona, vel natura personam, vel naturam assumpsit; & si natura Dei sit incarnata.*

Præterea inquiri oportet, cum ex præmissis constet, Verbum Dei & carnem, & animam simul assumpsisse in unitatem personæ, quid horum potius concedendum sit, scilicet quod persona personam, vel quod natura naturam, vel persona naturam, vel natura personam assumpsit; & an ita conveniat dici divinam naturam esse incarnatam, sicut Deus incarnatus, & Verbum incarnatum sane dicitur. Hæc inquisitio, sive querendi ratio, juxta sacrarum auctoritatum testimonia, partim implicita, atque perplexa; partim vero explicita est, & aperta. Certum est enim, & sine ambiguitate verum quod non natura personam, nec persona personam, sed persona naturam assumpsit. Quod sanctorum subditis comprobatur testimoniis, & asstruitur documentis. Augustinus (Fulgentius) enim ait in Lib. de Fide ad Petrum (partim cap. 11. partim cap. xvii.) „Deus unigenitus dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex Virgine, & cum nasceretur, integritatem virginis servavit in matre.“ Et paulo post: „Deus humanam naturam in unitatem personæ suscepit; qui se humilians per misericordiam incorruptæ virginis uterum, ex ea nasciturus, implevit.“ Formam ergo servi, id est naturam servi, in suam accepit Deus ille personam. Item: „Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam.“ Item: „Dei Filius unigenitus, ut carnem hominis, animamque mundaret, susceptione carnis, animæque rationalis incarnatus est.“ His aliisque pluribus auctoritatibus evidenter ostenditur, non naturam personam, nec personam personam; sed personam naturam accepisse.

*De parte quæstionis perplexa.*

De quarto vero quæstionis articulo, utrum scilicet natura naturam assumpsit, scrupulosa etiam inter doctos quæstio est: quia in hoc plurimum dissentire videntur qui in sacra pagina auctoritate præclari, aliis doctiores extiterunt; nec tantum alii ab aliis, verum etiam iidem à seipsis dissonare videntur, sicut subiecta capitula docent. Legitur enim in Toletano Concilio (a) VIII. traditum sic: „Solum Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & cum tota Trinitas operata sit formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis; solus tamen Filius accepit hominem in singularitatem personæ, non in unitatem divinæ naturæ;“ id est id quod proprium est Filii, non quod commune est Trinitati. (b) Item in Toletano Concilio XI. „Unitus substantiæ credimus Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; non tamen dicimus ut hujus Trinitatis unitatem Maria virgo genuerit; sed tantum Filium, qui solus nostram naturam in unitatem personæ suæ assumpsit. Incarnationem quoque hujus Filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est; solus tamen Filius formam servi accepit, in singularitatem personæ.“ His insinuari videtur quod persona tantum naturam, non natura naturam assumpsit. Si enim quod commune est Trini-

(1) Nicolai factibilem.

Ex Edit. P. Nicol. (a) VI. can. 1. (b) Ut ipsa professio fidei quæ decretis, & canonibus ejus præmittitur, expresse habet post medium. Tom. II. Concil. part. 11.

lati, non accepit hominem; ergo non natura divina, quæ communis est tribus personis. Cui videtur obviare quod Augustinus (Fulgentius) ait in Libro de Fide ad Petrum (cap. vi r.), „Nec Divinitas (inquit) Christi aliena est à natura Patris, secundum id quod in principio erat Verbum; nec humanitas ejus aliena est à natura matris, secundum id quod verbum caro factum est. Illa enim natura quæ semper genita manet ex Patre, nostram naturam sine peccato suscepit, ut nasceretur ex virgine.“ Hac auctoritate videtur tradi quod divina natura humanam suscepit: ubi vehementer moveri possumus, quod eam genitam æternaliter ex Patre dicit; nisi forte naturam pro persona hic accipiat; alioquin, si dixerimus naturam tribus personis communem, genitam esse, occurrunt nobis ex adverso quæ in tractatu de Trinitate disseruimus, ubi diximus non naturam naturam, sed personam personam genuisse: quia si natura genuisset naturam, cum una eademque sit natura Trinitatis, eadem res seipsam genuisset: quod Augustinus (Lib. I. de Trin. cap. r.) fieri posse negat. Sed alibi certum reperimus documentum, quo natura naturam assumpsisse monstratur: ait enim Augustinus in I. Libr. de Trin. (cap. vi r.), „Etiam seipso Christus minor factus est, formam servi accipiens. Neque enim sic accepit formam servi ut amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri; ut & in forma servi, & in forma Dei idem ipse sit unigenitus Filius Patris: quia forma Dei accepit formam servi.“ Si autem forma Dei formam servi accepit, sine dubio natura naturam accepit: formæ enim nomine natura significatur, ut Augustinus (Fulgentius) evidenter docet in Lib. de Fide ad Petrum (cap. r r.). Cum (inquit) de Christo audis quia in forma Dei erat, oportet te cognoscere, firmissimeque tenere in illo formæ nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. In forma igitur Dei erat, quia in natura Dei Patris semper erat, de quo natus erat. Hilarius quoque in Lib. XII. de Trin. (non longe à princ.) ait: „Esse in forma Dei, non alia intelligentia est quam in Dei manere natura.“ Didicisti nomine formæ, intelligentiam fieri naturæ; & audisti quod forma Dei formam servi suscepit; unde consequens est quod natura divina naturam humanam suscepit: quod etiam Hieronymus (Pelagius) in explanatione fidei evidenter insinuat, inquiens: „Passus est Filius Dei, non putative, sed vere; secundum illud passus est quod pati poterat; id est, non secundum illam substantiam quæ assumpsit, sed secundum illam quæ assumpta est.“ Ex quo apparet, divinam substantiam assumpsisse humanam. Ex verbis autem Augustini (Fulgentii) superius positus adhibita diligentia innui videtur, solum Verbum carnem factum, & naturam solum suscepisse humanam, & divinam naturam eandem accepisse. Ait enim: „Trinitas nos sibi reconciliavit per hoc quod solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit; in quo sic veritas incommutabilis manet divinæ humanæque naturæ, ut sicut vera semper est ejus Divinitas, quam de Patre habet, ita vera semper, atque incommutabilis ejus sit humanitas, quam sibi unitam summa Divinitas gerit.“ Ecce & solum Verbum dixit carnem factum, & humanitatem Divinitati unitam. Idem quoque superius dixit, servilem formam à solo Filio susceptam, quam tota Trinitas fecit. Jam facile est cognoscere quam diversa, & multiplicia super questione proposita auctores tradiderint. Ideoque posteriores ea legentes, varias, atque contrarias, ex prædictis occasionem sumentes, promunt sententias.

Quid de hoc tenendum sit.

Nos autem omnis mendacii, & contradictionis notam à sacris paginis secludere cupientes, orthodoxis Patribus, atque Catholicis Doctoribus nulla pravæ intelligentiæ suspitione notatis consentimus; dicentes, & personam Filii assumpsisse naturam humanam, & naturam divinam humanæ naturæ in Filio unitam; eamque sibi unisse, vel assumpsisse; unde vere incarnata dicitur. Quod vero dicitur solus Filius formam assumpsisse servi, per hoc non excluditur divina natura ab acceptione servilis formæ, sed, alie duæ personæ Pater scilicet, & Spiritus Sanctus. Item & illud aliud, scilicet, „Id quod est proprium Filii, non quod commune est Trinitati, hominem accepit,“ sic oportet intelligi; id est, proprie in hypostasi Filii, non in tribus communiter personis, divina natura humanam sibi univit: qui sensus ex verbis Joannis Damasceni confirmatur, qui totam divinam naturam in una hypostaseon incarnatam esse evidenter asserit, dicens (de orth. Fid. Lib. III. cap. vi r.), „In humanatione Dei Verbi dicimus omnem, & perfectam naturam Deitatis, in una ejus hypostaseon (1) incarnatam esse, id est unitam humanæ naturæ, & non partem parti. Omnem enim humanæ naturæ dicimus unitam esse omnem Deitatis naturam, vel substantiam.“ Item: „Eadem est natura in singula hypostaseon, id est personarum: & quando dicimus naturam Verbi incarnatam esse, secundum beatos Athanasium, & Cyrillum, Deitatem dicimus esse unitam carni, & unam naturam Dei. Verbi incarnatam confitemur. Verbum autem & quod commune est substantiæ possidet, & quod (2) proprietates est habens hypostaseos, id est personæ.“ Ex his manifeste ostenditur quod natura divina incarnata est: unde & eadem vere dicitur suscepisse humanam naturam.

An divina natura a debeat dici caro facta.

Sed queritur, utrum eadem divina natura debeat dici caro facta, sicut Verbum dicitur factum caro. Si enim idem est incarnari quod est carnem fieri, videri potest ita debere dici, quod sit caro facta sicut dicitur incarnata. Ad quod dicimus, quia si illud dictum in sacra Scriptura reperiretur, ex eadem intelligentia acciperetur, qua cum dicitur incarnata. Sed quia illud auctoritas subicit, atque locutionis modus nimiam videtur facere expressionem, si natura divina diceretur caro facta; melius hoc silere puto, vel negare, quam temere asserere; ne si illud dicatur, convertibilitas naturæ in naturam significari putetur. Ex præmissis indubitabiliter constat quod Verbi persona, sive natura, hominis naturam, scilicet carnem, & animam, assumpsit, sed non personam hominis. Si autem natura divina naturam hominis accepit; quare non dicitur facta homo, vel esse homo, sicut verbum Dei? Ad quod dici potest, quod Dei Filius dicitur factus homo, vel esse homo, non solum quod hominem assumpsit, sed quod ipsum in unitatem, & singularitatem sui, id est personæ (3) suæ, accepit. Natura autem divina hominem quidem accepit, id est hominis formam

(1) Nicolai tantum unitam esse humanæ naturæ. (2) Al. proprietatis. (3) Al. deest suæ.

nam sibi univit; sed non in singularitatem, & unitatem sui. Servata enim proprietate, ac diversitate duarum naturarum, personæ singularitas extitit. Ideoque non sic dicitur divina natura esse homo, vel facta homo, sicut Dei Filius. Quidam tamen indifferenter utrumque con. edunt.

Quare non accepit personam hominis, cum hominem accepit.

Deo vero non personam hominis assumpsit, quia caro illa, & anima illa non erant unite in unam personam quam assumpsit: quia non ex illis constabat persona quando illis unitum est Verbum: nam sibi invicem sunt unita simul, cum Verbo (4) unita sunt. Alia tamen unione invicem unita sunt illa duo, scilicet anima, & caro; alia unione Verbo unita sunt: quia alia est unio anime illius ad carnem, & alia unio Verbi ad animam illam, & carnem. Non ergo accepit Verbum Dei personam hominis, sed naturam: quia non erat ex carne illa, & anima illa composita persona una, quam Verbum accepit; sed accipiendo univit, & uniendo accepit.

Contra hoc oppositio, qua probare quidam volunt, personam accepisse personam.

Hic à quibusdam opponitur quod persona assumpsit personam. Persona enim est substantia (5) individualis nature; hoc autem est (6) anima. Ergo si animam assumpsit, & personam. Quod ideo non sequitur, quia anima non est persona, quando alii rei est unita personaliter, sed quando per se est. Absoluta enim à corpore persona est, sicut Angelus. Illa autem anima numquam fuit quin esset alii rei conjuncta; ideoque non, ea assumpta, persona assumpta est. Aliter quoque nituntur probare Verbum Dei assumpsisse personam, quia assumpsit aliquem hominem: assumpsit enim hominem Jesum Christum: ergo aliquem hominem. Quod autem hominem Jesum Christum assumpsit, Augustinus in expositione Symboli (c) sub anathemate tradit, dicens: „Si quis dixerit, atque creiderit, hominem Jesum Christum à Filio Dei assumptum non fuisse, anathema sit.“ Qui etiam in pluribus (d) scripturæ locis, hujusmodi utitur locutionibus. „Ille homo à Verbo Dei est assumptus: ille homo factus est Christus.“ Et Propheta de homine Christo loquens Deo, ait (Psalm. Lxv. 5.), „Beatus quem elegisti, & assumpsisti.“ Ex quibus consequi videretur quod aliquis homo assumptus sit à Verbo; & ita persona assumpta sit à persona. Sed quia hoc nefas dicere est, aut sentire; præmissæ locutiones, eisque similes secundum hanc intelligentiam sanè accipi debent; ut homo Christus, sive homo ille, sive quidam homo dicatur assumptus à Verbo, sive unitus Verbo, non quia hominis persona sit assumpta, vel unita Verbo; sed quia anima illa, & caro illa assumpta sunt, & unita Verbo, in quibus subsistit Dei, & hominis persona; ut ad hominis naturam, non ad personam respicias, cum assumptum, vel unitum, vel quemdam, vel aliquem in hujusmodi locutionibus Scriptura memorari. Quo circa cum queritur sine proposita auctoritate, an aliquis, vel quidam homo sit assumptus à Verbo, vel unitus Verbo; sine distinctione intelligentiæ; non est hic reddenda responsio, quoniam multiplex præmissæ est questio; sed instantia in quærentis ita determinato. Si de hominis persona quæris, respondeo quod non; si de hominis natura dico, Est.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister circa incarnationem divinam, quid sit assumens, & quid assumptum; hic determinat de utroque simul cujusmodi sit quantum ad intentiones eorum, utrum scilicet assumens, & assumptum habeant rationem naturæ, vel personæ: & dividitur in tres partes. In prima movet quæstionem. In secunda determinat eam; ibi: *Hæc inquisitio, sive quærendi ratio, juxta sacrarum auctoritatum testimonia, partim implicita, atque perplexa, partim vero explicita est, & aperta.* In tertia movet quasdam dubitationes, ibi: *Sed queritur utrum eadem divina natura debeat dici caro facta, sicut dicitur Verbum factum caro.* Prima dividitur in duas. Primo determinat quæstionem quantum ad id quod manifestat veritatem; secundo quantum ad id quod est magis dubium in quæstione, ibi: *De quarto vero quæstionis articulo... scrupulosa etiam inter doctos quæstio est.* Et hæc pars dividitur in tres partes. In prima ponit auctoritates ad utramque partem dubitationis, in secunda solvit; ibi: *Nos autem omnis mendacii, & contradictionis notam à sacris paginis secludere cupientes, orthodoxis patribus consentimus.* In tertia solutionem per auctoritates Damasceni confirmat, ibi: *Qui sensus ex verbis Joannis*

Damasceni confirmatur.

Circa primum tria facit. Primo inducit auctoritatem ad partem negativam; scilicet quod natura non assumpsit naturam; secundo ad partem affirmativam; ibi: *Cui videtur obviare quod Augustinus ait; tertio ex auctoritatibus inductis colligit dubitationem; ibi: Ex verbis autem Augustini innui videtur, solum Verbum carnem factum.* Sed queritur utrum eadem divina natura debeat dici caro facta, sicut Verbum dicitur factum caro. Hæc movet quasdam dubitationes circa prædictam determinationem: & primo quantum ad hoc quod dixit naturam divinam incarnatam; secundo quantum ad hoc quod dixit personam non esse assumptam; ibi: *Ideo vero non personam hominis assumpsit, quia caro illa, & anima illa non erant unite in unam personam quam assumpsit.* Circa primum duo facit. Primo querit, utrum divina natura possit dici caro facta; secundo utrum possit dici facta homo; ibi: *Si autem natura divina naturam hominis accepit, quare non dicitur facta homo?*

Ideo vero non personam hominis assumpsit etc. Hæc movet dubitationes circa hoc quod dictum est, personam hominis non esse assumptam, & circa hoc duo facit. Primo assignat hujus dicti causam; secundo objicit in contrarium; ibi: *Hæc & quibusdam opponitur.* Et dividitur hæc pars in duas objectiones, quas ponit. Secunda incipit ibi: *(7) Aliter quoque*

(4) Nicolai omittit unita. (5) Al. rationalis individualis. (6) Al. deest anima. (7) Al. Aliter quoque intenditur. Ex Edit. P. Nicol. (c) Seu serm. de fid. recta, ut inseribitur modo, & est sermo 111. ser. v. in Cæna Domini. (d) Quod subjungitur ut ex pluribus scripturæ locis, intellige de scriptis Augustini, qui sic loquitur passim, ut in Lib. de prædest. Sanct. cap. xv. nominatim.

nituntur probare, Verbum Dei assumpsisse personam. Et utraque dividitur in objectionem, & solutionem. Prima solutio incipit ibi: Quod ideo non sequitur, quia anima non est persona, quando alii rei est unita personaliter; secunda ibi: Quia nefas est hoc dicere.

## QUÆSTIO I.

**H**IC est triplex questio. Prima est de unione. Secunda de assumente unionem. Tertia de assumptio. Circa primum queruntur tria. Primo. Quid sit unio. Secundo. Utrum unio sit facta in natura. Tertio. Utrum sit facta in persona.

## ARTICULUS I.

Utrum unio sit aliquid creatum.

III. P. quest. 111. art. 7. 8. 9.

**A**D primum sic proceditur. Videtur quod unio non sit aliqua creatura. Unio enim est in eo quod per eam unum dicitur. Sed divina natura dicitur unita humanæ. Ergo unio est in divina natura. Sed nihil est in Deo creatum. Ergo unio non est aliquid creatum.

Præterea. Unio est relativum æquiparantiæ. Sed huiusmodi relativa similiter se habent ad utrumque extremum. Ergo vel est in divina natura, & humana; & sic idem quod prius; vel in neutra; & sic nusquam est; & ita non esset creatura.

Præterea. Nihil creatum dicitur de Deo nisi vel per causam, ut cum dicitur aliquid scire, quia facit nos scire; vel per assumptionem, ut cum dicitur homo; vel per similitudinem, ut cum dicitur leo, vel agnus Dei. Sed cum dicitur divina natura unita humanæ naturæ, hoc non tantum per causam dicitur, quia sic Pater diceretur unitus, quia hanc facit unionem: nec per assumptionem, quia si assumpsit unionem, aliqua unio esset Dei ad unionem, & sic in infinitum: nec iterum per similitudinem, quia tunc unio non diceretur secundum veritatem rei, sed secundum metaphoram; & sic Deus homo diceretur metaphorice, sicut dicitur leo, vel agnus. Ergo unio non est quid creatum.

Sed contra. Omne quod est, & non est creatum, est æternum. Sed unio est, quia per eam secundum rem unitæ sunt duæ naturæ in una persona, & non est ab æterno, sed in tempore inceptit. Ergo est creatum.

## QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod sit minima unionum. Quia quanto unita magis distant, tanto est minor unio. Sed divina natura, & humana quæ dicuntur unita, maxime distant. Ergo unio est minima.

Præterea. Quanto maior est compositio, tanto minor unio. Sed in Christo est maxima compositio: quia post compositionem quam natura facit in homine, quæ est maxima inter omnes naturales compositiones, est ibi conjunctio Divinitatis, & humanitatis. Ergo est ibi minima unio.

Præterea. Quod est omnibus modis unum, est magis unum quam quod est quodammodo unum, & quodammodo non. Sed quædam sunt unita & in natura, & in persona, sicut quatuor elementa in corpore humano. Cum igitur in Christo facta sit

unio in persona, & non in natura, videtur quod ad minus multæ uniones sint majores ista unione.

Sed contra est quod dicit Bernardus in Libro de consideratione (V. cap. VIII.) quod inter omnes unitates arcem tenet unitas Trinitas, & post ipsam est unitas dignativa quæ est in Christo. Ergo videtur quod post unitatem divinæ naturæ ista sit maxima.

## QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod unio non differat ab assumptione. Assumptio enim dicitur quasi ad se sumptio. Sed quidquid ad se sumitur, aliquo modo sumenti unitur. Ergo assumptio est idem quod unio.

2. Si dicatur, quod differunt, quia uniens est unitum, sed assumens non est assumptum; contra. Uniens est agens unionem. Sed non omne agens unionem est unitum, sicut patet de Patre, & Spiritu Sancto. Ergo illa differentia nulla est.

3. Si dicatur, quod assumptio præcedat unionem: contra. Ante primum non potest esse aliquid prius. Sed in primo instanti suæ conceptionis fuit unio in Christo. Ergo assumptio non præcedit unionem; & ita non videtur quod differant.

Sed contra. Divina natura dicitur unita humanæ naturæ. Non autem dicitur assumpta. Ergo assumptio, & unio differunt.

## SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod unio relatio quædam est. Omnis autem relatio secundum Philosophum V. Metaph. (text. xx.) fundatur vel supra quantitatem, secundum quod reducitur ad genus quantitatis; aut supra actionem, vel passionem. Unum autem reducitur ad genus quantitatis quasi principium quantitatis discretæ: & supra ipsam fundatur identitas, secundum quod est unum in substantia; æqualitas, secundum quod est unum in quantitate; similitudo, secundum quod est unum in qualitate. Unio autem est quædam actio, vel passio qua ex multis efficitur aliquo modo unum; & hanc actionem sequitur ista relatio quæ est unio. Relationum autem tam harum quam illarum quædam innascuntur ex motu utriusque, & tunc oportet quod illæ relationes sint realiter in utroque extremorum, sicut paternitas, & huiusmodi: quædam autem innascuntur ex motu unius sine immutatione alterius, quod accidit in his quorum unum dependet ad alterum, & non est converso, sicut scientia ad scitum; & in talibus relatio est secundum rem in eo quod dependet ad alterum, in altero vero est secundum rationem tantum. Cum igitur in incarnatione non sit aliqua mutatio facta in natura divina, sed in humana, quæ tracta est ad unitatem in persona divina, erit hæc relatio, scilicet unio, secundum rem in natura humana, in divina autem secundum rationem tantum; secundum quod dicit Philosophus in V. Metaph. quod aliqua sunt relativa, non quia ipsa referuntur, sed quia alia referuntur ad ipsa. Unde unio secundum rem creatura quædam est.

Ad primum ergo dicendum, quod unio illa est in Deo secundum rationem tantum, & non secundum rem.

Ad secundum dicendum, quod unio est relatio æquiparantiæ in rebus creatis; sed non in Creatore, & creatura: quia non eodem modo se habent in unio-

## QUÆSTIO I.

unione: sicut etiam similitudo non ordinatur in Deo ad creaturam secundum æquiparantiæ, sicut dicit Dionysius v. cap. de div. Nomin. quamvis in aliis sit relatio æquiparantiæ.

Ad tertium dicendum, quod unio quæ de Deo prædicatur, non est neque creator, neque creatura: quia prout in ipso est, non est aliquid secundum rem, sed secundum rationem tantum. Non tamen ratio falsa est, quia fundatur super relationem creaturæ ad Creatorem; sicut etiam est de aliis relativis quæ ex tempore de Deo dicuntur, ut Dominus, & huiusmodi.

## SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod unio ista potest dupliciter considerari: vel quantum ad id in quo fit unio, vel quantum ad ea quæ ununtur. Si primo modo, cum unio fiat in persona divina, quæ est maxime unum, & simplicissimum; sic est maxima unio post unionem essentiali in tribus personis: quamvis enim persona sit ita simplex & unum sicut essentia, tamen quælibet trium personarum est idem re cum ipsa essentia, in qua ununtur; non autem utraque natura in Christo est idem re cum persona divina, quamvis altera natura, scilicet divina, sit omnino idem re cum ipsa: & ita unio personarum in una essentia est major quam unio naturarum in una persona. Si secundo modo, sic non est maxima unio. Sed prima consideratio est unionis secundum se, quia secundum id quod unum est; hæc autem est consideratio unionis (1) non secundum quod unio. Et ideo dicendum, quod unio est maxima simpliciter, quamvis sit non maxima secundum quid.

Et per hoc patet responsio ad ea quæ obijciuntur.

## SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod prima differentia assumptionis, & unionis est, quod assumptio est actio, vel passio; unio autem est relatio tantum, quamvis unio etiam sit actio. Secunda differentia est, quia assumptio dicitur per comparisonem ad terminum à quo separatur, vel accipitur secundum quod uniendum est; sed unio dicitur per comparisonem ad terminum, vel effectum conjunctionis, qui est esse unum. Et inde sumitur tertia differentia, quod uniens est unitum: quia unitum significatur secundum quod jam factum est unum; assumptum autem secundum quod est in via ad hoc: & ideo assumens non est assumptum. Quarta differentia est, quia assumptio determinat id ad quod fit conjunctio, secundum quod dicitur assumptio, quasi ad se sumptio: unio autem non: & ideo quicumque facit conjunctionem, potest dici unire, non autem potest dici assumere, nisi sibi conjungat: unde Pater univit humanam naturam cum divina, non autem assumpsit. Quinta differentia est, quod unio, quantum est de se, æqualiter respicit utrumque extremorum; assumptio autem non, immo requirit esse fixum, & stans in uno, ad quod aliud trahatur: & inde est quod natura divina potest dici unita in persona humanæ nature, non autem potest dici assumpta.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis assumptio ordinetur ad unionem, non tamen includit.

(1) In editione Nicolai omittitur non.

dit in sua significatione terminum, qui est fieri unum, sicut includitur in significatione unionis.

Ad secundum dicendum, quod hoc quod dicitur, quod uniens est unitum, intelligendum est de eo quod est uniens sibi, & in se. Pater autem non univit sibi; nec divina natura univit in se, sed in persona; nec humana natura signatur ut unitum in persona, sed homo. Et ideo neque Pater est homo, neque divina natura est humana.

Ad tertium dicendum, quod quamvis in Christo assumptio non præcedat unionem tempore, præcedit tamen natura, & secundum modum intelligendi.

## ARTICULUS II.

Utrum unio sit facta in natura.

III. P. quest. 111. art. 1.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod unio sit facta in natura. Quod enim constat ex duabus naturis, videtur habere unam naturam mediam inter illa, sicut mixtum quod constat ex quatuor elementis. Sed Christus constat ex duabus naturis secundum Augustinum (in Enchir. cap. xxxv.) qui dicit, quod ex utraque substantia, scilicet divina, & humana, est unus Dei, & hominis Filius. Ergo videtur habere unam naturam ex utrisque compactam.

Præterea. Natura, secundum quod hic loquimur, est unumquodque informans specifica differentia, ut dicit Boetius in Lib. de duabus naturis. Sed Philosophus dicit (VIII. Metaph. text. x.) quod semper una differentia addita mutat speciem, sicut in numeris quælibet unitas addita facit novam speciem numeri. Ergo humana natura addita divinæ facit novam naturam secundum speciem.

3. Si dicatur, quod non potest una natura constitui ex duabus, quia oportet utramque naturam servari in incarnatione; contra. Anima, & corpus constituunt humanam naturam. Utrumque tamen, scilicet corpus, & anima, intransmutatum permanet in sua natura. Ergo ex duabus naturis potest tertia constitui, utraque remanente salva.

4. Præterea. Proprietas sequitur naturam ejus cuius est proprietas. Sed proprietates divinæ naturæ dicuntur de illo homine: dicitur enim, quod ille homo creavit stellas; & e converso dicitur, quod Filius Dei est passus. Ergo videtur quod aliquid divinæ naturæ est in humana natura, & aliquid humanæ sit in divina; & sic videtur esse facta quædam conjunctio naturarum in unam naturam.

5. Præterea. Quando aliqua duo conjunguntur quorum unum multum superat alterum, hoc quod superatur, transit in naturam superantis, sicut si gutta vini in mille amphoras projiciatur aquæ. Sed natura divina in infinitum superat humanam. Ergo humana natura conjuncta divinæ, tota convertitur in divinam.

6. Præterea. Hoc videtur per hoc quod caro Christi dicitur deificata à sanctis, sicut Damascenus narrat (Lib. III. cap. xi.)

Sed contra. Filiatio requirit similitudinem in natura. Sed Christus dicitur Filius Dei Patris, & Virginis matris. Ergo est similis in natura utrique. Sed Virgo, & Deus Pater non communicant in aliqua una